

Per consequens igitur eo habito omne bonum habetur, secundum illud Sapient. 7, 11: "Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa." Sic igitur in illo finali bono, videndo Deum, habebimus omnium bonorum plenam sufficientiam: unde et fidei servo repromittit Dominus Matth. 24, 47: quod "super omnia bona sua constituet eum."

Quia vero malum bono opponitur, necesse est ut ad praesentiam omnis boni malum universaliter excludatur. Non est enim participatio justitiae cum iniquitate, nec societas lucis ad tenebras, ut dicitur 2 Corinth. 6. Sic igitur in illo finali bono non solum aderit perfecta sufficientia habentibus omne bonum, sed etiam aderit plena quies et securitas per immunitatem omnis mali, secundum illud Proverb. 1, 33: "Qui me audiet, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, terrore malorum sublato."

Ex hoc autem ulterius sequitur quod sit ibi futura omnimoda pax. Non enim impeditur pax hominis nisi vel per interiorum desideriorum inquietudinem, dum desiderat habere quae nondum habet, vel per aliquorum malorum molestiam, quae vel patitur vel pati timet. Ibi autem nihil timetur: cessabit enim inquietudo desiderii propter plenitudinem omnis boni: cessabit etiam omnis molestia exterior per absentiam omnis mali: unde relinquitur quod ibi sit perfecta pacis tranquillitas. Hinc est quod dicitur Isa. 32, 18: "Sedebit populus meus in pulchritudine pacis," per quod pacis perfectio designatur: et ad ostendendum causam pacis subditur: "Et in tabernaculis fiduciae," quae scilicet erit subtracto timore malorum: "in requie opulenta," quae pertinet ad affluentiam omnis boni. Hujus autem finalis boni perfectio in perpetuum durabit. Non enim poterit deficere per defectum bonorum quibus homo fruetur, quia sunt aeterna et incorruptibilia: unde dicitur Isaiae 33, 20: "Oculi tui videbunt Jerusalem, civitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit," et postmodum subditur causa: "quia solummodo ibi erit magnificus Dominus Deus noster." Tota enim illius status perfectio erit in fruitione divinae aeternitatis. Consimiliter etiam non poterit ille status deficere per corruptionem ibidem existentium: quia vel sunt naturaliter incorruptibiles, sicut Angeli, vel in incorruptionem transferentur, sicut homines: "oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem," ut dicitur 1 Corinth. 15, 53: Unde et Apocal. 3, 12, dicitur: "Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius." Nec etiam poterit ille status deficere per hoc quod voluntas hominis fastidiendo se avertat: quia quanto Deus, qui est bonitatis essentia, magis videtur, tanto necesse est ut magis ametur; unde et magis ejus fruitio

desiderabitur, secundum illud Eccli. 24, 29: "Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient." Propter quod et de Angelis Deum videntibus dicitur 1 Petri 1, 12: "In quem desiderant Angeli prospicere." Similiter etiam non deficiet ille status per hostis alicujus impugnationem, quia cessabit ibi omnis mali molestia, secundum illud Isa. 35, 9: "Non erit ibi leo," idest diabolus impugnans, "et mala bestia," idest malus homo, "non ascendet per eam, nec inveniatur ibi;" unde et Dominus dicit Joan. 10, de ovibus suis, quod non peribunt in aeternum, et quod non rapiet eas quisquam de manu sua. Sed nec finiri poterit ille status per hoc quod a Deo aliqui inde excludantur. Non enim aliquis ab illo statu repellatur propter culpam, quae omnino non erit, ubi deerit omne malum: unde dicitur Isa. 60, 21: "Populus tuus omnes justi," neque etiam propter promotionem ad melius bonum, sicut in hoc mundo Deus interdum etiam justis spirituales consolationes subtrahit, et alia sua beneficia, ut avidius quaerant, et suum defectum recognoscant: quia status ille non est emendationis aut profectus, sed perfectionis finalis: et ideo Dominus dicit Joan. 6, 37: "Eum qui venit ad me," non ejiciam foras Habebit igitur status ille omnium praedictorum bonorum perpetuitatem, secundum illud Psalm. 5, 12: "In aeternum exultabunt, et habitabis in eis." Est igitur praedictum regnum beatitudo perfecta, utpote immutabilem omnis boni sufficientiam habens. Et quia beatitudo naturaliter desideratur ab hominibus, consequens est quod regnum Dei ab omnibus desideretur.

CAPUT CCLVI.

Quod regnum obtineri est possibile.

Oportet autem ulterius ostendere, quod homo ad illud regnum pervenire possit: alioquin frustra speraret et pateretur. Primo autem apparet hoc esse possibile ex promissione divina: dicit enim Dominus, Luc. 12, 32: "Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum." Est autem divinum beneplacitum efficax ad implendum omne quod disponit, secundum illud Isa. 40, 10: "Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet." "Voluntati enim ejus quis resistit?" ut dicitur ad Roman. 9, 19. Secundo ostenditur hoc esse possibile ex evidenti exemplo.

Morte praeventus S. Thomas admirabile hoc opus minime absolvit.